ad iudicium uenire. Ideo prius de pactis et transactionibus agamus. Videamus
ergo quid sit pactum. quis in ecclesiasticis paciscī potest. de quibus rebus et quis sit effectus
pactorum. Pactum est duorum uel plurium in idem dandum faciendum ue consensus.
Paciscī potest in ecclesiasticis prelatus. eoque defuncto uel remoto potest paciscī uniuersitas
in eo iudicio. Item fundator. ut. xviii. c. q. ii. c. Leutherius. In temporalibus et de tem-
poralibus recte paciscimur. non autem in spiritualibus adquirendis quia presumitur symo-
nia. ut. i. c. cum pridem. nisi forte ad certum scensum etc. uel aliud spirituale conce-
datur. ut. i. q. iii. Quesitum. Effectus pactorum est ut seruentur nisi
sint contra leges. uel contra bonos mores. ut. x. di. c. constitutiones. et xv. q. iii.
talia. et. xxx. q. ii. in prima. et. c. e. pacta. Illud in summa nota quod postis
pactum preiudicat priori. ut. c. e. pacta nouissima. et x. xiii. q. ii. et ult.

Post tractatum de pactis agendum est de transactionibus
que sunt quedam pacta. Videamus igitur quid sit transactio. quis possit
transigere de qua re. quis transactionis effectus. Transactio est de re dubia
et per litem incertam decisio. aliquo dato uel retento. In ecclesiasticis transigere potest qui et
pacisci. uel prelatus uel eo non existente. uniuersitas uel fundator. Potest
autem fieri de omnibus excepto de criminibus. de quibus sic est distinguendum. quia alia
sunt capitalia. scilicet quibus est sanguinis pena constituta. alia non. In capitali-
bus transigi potest. excepto crimine adulterii. In penalibus transigi non potest
excepto crimine falsi. ut. C. e. transigere. Unde uersus. Sanguinis et capitis
metuens de crimine penam. Possit transigere non transiget ullus adulterii. Numquam
de reliquis excepto crimine falsi. Effectus transactionis est ut ei stetur ut
C. e. causas quamuis si non sit extorta per uim uel fraudem. ut. C. e. interpositas.
et. e. de pactis. cum pridem et x. xv. q. vi. sacerdotibus.

Premisso tractatu de pactis et transactionibus. ad preparatoria iudiciorum re-
deamus. Quia ergo litigare uolens indiget postulatore. Ideo de postulando
dicamus. Videamus itaque quid sit postulare. quis potest postulare. et de sa-
lario aduocati. Postulare est desiderium suum uel amici sui apud eum
qui preest iurisdictioni exprimere. uel agendo. uel respondendo. Postulare
autem potest quisquis non prohibetur. nam si edictum prohibitorium est sic edictum de
procuratoribus et de testibus. ut. ff. de procuratoribus. l. mutus. §. i. et ff. de testibus
l. i. §. i. Prohibentur postulare qui in his uersiculis continentur. Pro
cunctis datur. uel postulat. immo negatur. Addictus pene seruus. puer

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.9, 5v – Bernardus Papiensis, Summa decretalium
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-f8bw/5148/49249)